

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales,
historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam
pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam
transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

Aquane, an ignis sit utilior

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

tum mittendi faceret suam, seque mortuum sciret. Hoc ille modo vitæ reliquum consumpsit. Vxor autem rebus præclare præfuit, cuiusq; malorum mutationem parauit.

AQVANE, AN IGNIS SIT

vtilior.

*Mitto O.
lymp.*

PINDARVS pronunciauit, aquam esse rerum optimam, aurum autem flagrantem ignem. is ergo palam posteriorem locum igni assignauit. Ad stipulatur huic Heliodus, ita scribens,

Principio factum Chaos est.---

nam voce Chaos pleriq; eum existimant expressisse aquam ob diffusionem, quæ est Græcis chylis. Carterum tellus in vtrinq; partē æqualia sunt momenta. Sunt enim qui ignem vniuersi principium esse pronunciant, eumq; tanquam semen & gignere ex sese omnia, & in sese facta conflagratione receperunt. Omisissis itaq; autoribus, rationes ipsas cōsideremus in vtram nos partem inclinent. Nōne autem id vtilius est, quo semper continentēq; indigemus, & quidē plurimo? quomodo supellex, aut instrumentum, atque aded amicus aliis præfertur, qui nobis quauis hora & ad qualis occasiones vtendi præsidē est. Atqui ignis non semper vtilis est: & aliquādo eum molestē ferimus atq; amolimur. Aquæ & hyeme & æstate, tam sanis quàm ægrotis, noctu dieq; deniq; nunquam non vsus est & opus. nimirum enim mortui hinc alibantes dicuntur, quod humore careant, ideòq; vita sint priuati. Deinde absq; igni multa fuerunt: sine aqua nullus vnquam homo. Est verd id quod in initio statim & ab ipso ortu hominum exstitit, vtilius eo quod postea tēporis inuentum fuit. liquet enim illud naturam nobis vt rem necessariam dedisse, hoc ob vsus superuacaneos studio machinationēq; partum esse. At verd dici non potest quādo aqua caruerint homines: neque eius inuentor deorum aliquis aut heroum perhibetur. Ignis vsus nuper aded, vt aiunt, à Prometheo est repertus, ita sine igni, non absque aqua vita fuit. Et non esse hoc à poetis confictum, nostra demonstrat. Sunt enim quædam hominum gentes, absque igni vitam degentes, domibus focusq; carentes, & sub diuo agentes. Quin & Diogenes cynicus minimē igni est vsus. qui etiam polypum crudum deglutiens, Tantum dixit, pro vobis adeo

Diogenes.

adèd periculum. Absque aqua autem neque commodam, neq; omnino tolerabilem quisquam putauit vitam. Quamquam, cur in has me conuicio angustias? cùm infinitæ sint aliæ naturæ, quæ solo ferè homine ignis vsus sciente, absque igne nutriuntur & viuunt pascetes, volantes, repentes, alunturque fructibus, radicibus, carnibus, sine igni. Sine aqua autem nihil viuunt neque marinum, neque aerium, neque terrestre. & ipsa illa carniuora animalia, quæ bibere Aristoteles negat, mero tamen humore vitam sustentant.

10 Est autem omnino id vtilius, absque quo nulla constat aut perdurat natura. Transeamus nunc ab iis quæ vtuntur, ad ea quibus nos vtimur, stirpes inquam & fructus. Horum alia prorsus expertia sunt caloris, quædam exiguam eius & obscuram habent partem. Humor autem omnibus,

15 quorum stirpes terra continentur, nascendi, augetendi, fructumque ferendi suum causa est. Iam quid attinet me enumerare vinum, oleum, & alia quæ vindemia nobis suggerit, aut quæ mulgemus, & in promptu sita cernimus? quando ipsum quoque triticum, quod alimentum siccum

20 putatur, mutatione, putrefactione, diffusionisque humoris nascitur. Porrò autem vtilius hoc est, quod nunquam nocet. Ignis verò facile perniciosus affert: aquæ natura nusquam est damnosa. Inter duo id quoque vtilius censetur, quod minimo apparatu suum exhibet vsus. Atqui ignis

25 vsus sumtum materiamque desiderat: ideoque magis eodiuites & reges vtuntur, quàm pauperes & priuari. Habet autem aqua id humanis vsibus commodum, quod æqualiter omnibus proflat, & similiter non indiget instrumentis, non supellecile, nihil extra sese desiderat, bonum est se-

30 ipso perfectum. Ad hæc, minus vtile est, quod multiplicatum suam vtilitatem amittit. quod sanè igni accidit tanquam feræ voraci, & obiecta insumentis, & quia arte magis scitaque moderatione quàm suapte natura sit vtilis. Ab aqua nihil vnquam timendum est. Præterea de duobus

35 illud vtilius iudicatur, quod cum altero coniungi potest. Sed ignis quidem aquam non recipit, neque eius communi-
 one prodest. Aqua autem igni adscito conducibilis est. nam aquæ suapte natura calidæ remedium habent aduersus morbos ipsis etiam sensibus manifestum. Et ignem profectò humidum nusquam reperies. aqua autem tam

Mare.

calida quàm frigida, humanis apta est vsibus. Adde, quòd cum quatuor sint elementa, aqua quintum, vt sic loquar, ex se produxit elementum, mare puta, quod vtilitate illis inferius non est, cum alias ob res, tum ob hominum commercia. Vitam enim nostram agrestem alioqui & commerciorum expertem hoc elementum coniunxit ac perfecit, mutuis auxiliis directam, ac permutationibus communitatem amicitiasque conciliantem. Heraclleti est, si sole carentem, noctem nobis futuram perpetuam. Licet autem nobis eodem modo dicere: absq; mare fuisset, animal fuisset homo omnium animalium ferissimum & impudentissimum. Nunc mare ab Indis vitem Græcis aduexit, & transmarinis frumenti vsum è Græcia attulit, & è Phœnicia literas memoriæ aduersus obliuionem remedium acciuit. vinum quoq; apportauit. denique maior hominum pars ne absq; fructu & institutionis exors esset, præstitit. Quomodo ergo non sit vtilior aqua, quæ elemento excedit ignem?

Pro igni.

An verò potius pro igne dicendi aliquis hæc habeat argumenta. Quatuor elementa deus vniuersi conditor ad omnium rerum effectiorem constituit. quæ elementa rursus hoc ipso differunt, quòd aqua & terra materiæ instar subiiciuntur effectioni, ac finguntur: eoq; ornatum & ordinem, adeoque vt sint & procreent consequuntur, quòd ab aere & igne tanquam artificibus formantur: & cum antea tãquam mortua iacerent, ab his ortus sui initium habent. Ignis verò in efficientibus causis dignitate hîc præstat. Quod dixi, inductione potest intelligi. Terra enim absq; calore, sterilis est, & infrugifera ignis sua eruptione & vi diffundendi materiam turgentem fertilem reddit. Quam enim aliam adferes causam, cur saxa & aridiores montium partes steriles sint, quàm quòd ignis vel nihil, vel parum nanciscuntur? In vniuersum autem, tantum abest vt aqua ex sese sufficiat aliis rebus generandis aut conseruandis, vt ipsa quoq; igne destituta pereat. Calor enim est, qui quemadmodum ceterarum rerum formam naturamq; ita aquæ etiã conseruat. & calore deficiente, putrescit aqua: ita vt aquæ interitus ac quasi mors sit penuria caloris. Nimirum enim palustres aquæ, & aliæ quæ non profluunt, aut exitu carentibus in cavitatibus inclusæ tenentur, vitiosæ sunt, ac ad extremum putrescunt: quòd motum, cuius agitatione calor in rebus fo-

uetur

uetur atq; conseruatur, habent nullum. Contrà aquas quæ maximè feruntur atque concitantur, viuas vocamus, quod in iis calore motus continet. Quomodo autem duabus rebus ratione vtilitatis comparatis, hæc non præferatur, quæ efficit vt sit altera. quod quidem ignis aquæ confert. Enimuerò vtilius est id, quo prorsus summoto animal perit. liquet enim id, quo sublato res interit, causam fuisse ei, vt subsisteret in natura. At humor etiam cadauerib. adest, neque omnis aboletur. alioqui non putresceret humida corpora: cum putrefactio sit siccæ in humidū mutatio, aut potius humidi in carne corruptio. Tum ipsa mors nihil est aliud, quàm omnis caloris priuatio. vnde fit vt frigidissima sint cadauera. aded, vt sua frigiditate hebetent acies nouacularum admotas. **Quin** etiam in ipso animali quæ minimum sortita sunt caloris, minus etiã habent sensus, vt (verbi gratia) ossa & capilli, & quæ à corde absunt longius. Ferè enim sensus largior minòrve adesse intelligitur, pro eo atque caloris in re plus est aut minus. Stirpes quidè & semina, non humor producit, sed calidus humor. frigidæ enim aquæ aut minus sunt frugiferæ, aut prorsus steriles. Quod si suapte natura fertilis esset aqua, omnino oportebat ipsam quoq; ex sese proferre fructus. illa verò fructibus nocet. iam alio sumto initio sic ratiocinemur. Ad ignis, quatenus ignis est, vsu aqua nihil indigemus. immò aqua vsu ignis impedit, eumque exstinguit atque abolet. in plerisque autem rebus aqua nisi igne adiuuante vsui non est. aqua enim calida aptior vsibus est, alioqui damnosa. Est verò inter duo illud vtilius, quod seorsim suos præbet vsus, neque altero indiget. His accedit, quod solo tactu vtilis est aqua lauantibus aut contrectantibus. Ignis per omnes sensus suam vtilitatem spargit. non solo tactu, sed procul etiam visus prodest. vt accedat reliquis eius vtilitatibus multitudine emolumentorū. Cæterum id falsum est, quod dicitur aliquos homines absq; igni esse. in vniuersum enim cæcere eo nullus homo potest: discrimina in hoc genere, vt & aliis in rebus, fatemur esse. Mare autem vt esset vtilius, à calore est cōsecutum: quoniã magis quàm aliæ aquæ à calore afficitur. pro se enim nihil à reliquis differebat aquis. **Qui** verò ignè foris adhiberi sibi nō requirūt, nō eo id faciūt, quod nihil opus habeant calore: sed ob abundantiam insiti caloris

hoc fit. vt hac quoque in parte ignis priores ferat: quandoquidem aqua nunquam ea est conditione vt non indigeat externis, virtus sua ignem seipso facit contentum. Sicut ergo duces præstantissimum censemus, qui urbem ita instruit, vt externis non indigeat auxiliis: ita hoc quoque elementum dicemus potius, quod efficit, vt plerisque in rebus extra nos nihil desideremus. Quod idem de aliis volo intelligi animalibus, quæ calor externi non indigent. Et verò in contrariam sententiam sic possumus argumentari. Melius id esse, quo soli vtinur, eiusque bonitatem ratione percipimus. Alioqui ratione quid conducibilis est homini, quid vtilius? Dices: atqui eo carent bruta. quid, inquam? an propterea minus vtilis est, inuentus ex providentia utilitatis. Denique quoniam huc nos oratio deduxit, scire velim quid arti in conferendis ad vitam communitatibus præster aqua. Ignis verò & reperit omnes, & conferuat artes. itaque etiam Vulcanum principem ac duces artium faciunt. Dixit Aristoteli, temporis nobis ad vitam dati exigui somnum quasi vestigialis exactorem dimidiam auferre partem. Ego autem sic dico: etiam si quis tenebris obtinentibus vigilaret per totam noctem, nullum fore huius vigiliæ fructum, nisi ignis bona nobis diei repræsentaret, noctisque & diei discrimen aboleret. Itaque si nihil homo habet, cui ratione utilitatis vitam postponat: ignis, qui vitam multiplicat, quomodo non mereatur omnibus anteferri rebus? Denique cuius temperiem sensus omnes maximè participant, id haud dubiè arbitrari debemus esse vtilissimum. Nonne autem animaduertis humore nullum per se vti sensum, nisi in eius temperie spiritus aut ignis sit admixtus? Omnis autem sensus igne, vt pote vitalem ingenerante facultatem, communicat: maximè omnium vtilis, qui acutissimus est sensuum corporis, ignea quædam natura exsiliens cum sit: & qui fidem nobis fecit esse deos quò accedat, quod à Platone est dictum, visum animum hoc consequi, quod cælestium corporum conuersionibus sese potest accommodare.

Somnus.

Vires.

PLVTARCHI CAPITVLORVM DE-
scriptio: hoc est, *Questionum solutio, siue*
problematum.

QVÆSTIONES ROMANÆ.



Vid causæ est cur sponsa in nuptiis iubeatur a I.
quam & ignem tangere? An quòd horum, qua-
tenus in elementis ac principiis numerantur,
alterum mas est, alterum femina: & ignis prin-
cipia mouonis suggerit, aqua subiecti ac materiæ facul-
tatem obrinet? An quia ignis lustrat, aqua purgat: debet au-
tem quæ nubit puritatem ac castimoniam conferuare? An
quòd sicut ignis absque humore nutriendi vi destituitur,
15 est quæ aridus, aqua autem absque calore sterilis est & ocio-
sa, ita mas quoque & femina seorsim nihil valent, coniun-
ctione eorum vitæ consuetudo perfecta à nuptiis redditur?
An id significare volunt, alterum ab altero deseri non debe-
re, sed eos in societate qualiscunque fortunæ persistere, et-
iam ita rebus ferentibus, vt præter ignem & aquam nihil
20 boni vnà frui detur?

Cur in nuptiis quinque faces, (cereos ipsi vocant) non II.
plures his aut pauciores accendunt? An quia, vt Varro
ait, prætores trinis, pluribus ædiles vtebantur, ab his *
25 autem sponsi accendunt ignem? An quòd cum vtantur
compluribus aliàs etiam numeris, tum alioqui præstantior
atque perfectior impar creditus est, tum ad nuptias melius
quadrare visus? Par enim diuidi se patitur, partesque eius
æquis inter se viribus contendunt. Impar autem omnino
30 diffindi se non fert, sed diuisus semper aliquid relinquit. In-
ter impares porò omnium maximè congruit nuptiis qui-
narius. nã ternarius primus est de imparibus, binarius pri-
mus de paribus: ex his tanquam mare & femina miscetur
quinarius. Aut potius, quoniam lumen procreationis si-
35 gnum est, mulieres autem ad quinq; plerunq; pariunt, tot-
idem vtuntur facibus? Aut quia matrimonium cōtrahen-
tes quinq; deorum ope indigere putant, Iouis perfecti, lu-
nonis perfectæ, Veneris, Suadæ, ac Dianæ, (ea Lucina est)
quam parturientes inuocant.

Quamobrem de multis quæ Romæ sunt Dianæ tēplis. III.

Paris ☞
imparis
numeri
etsi, ☞
quinarij.